

quos per Marcum discipulum suum suo evangelio illustravit⁷⁹, item in occidente sicut in urbe Romana, ubi XXV sedit^e annis non carens mysterio, quia sicut domini Urbis totum gubernant^f orbem, sic et beatus Petrus generali pontificio respectu fidelium potiretur⁸⁰. Hec autem accepimus, cum Dominus dicit: *Tibi dabo^g claves regni celorum*, non dixit^h *clavem*, quasiⁱ determinatam haberet provinciam, sed *claves* ad designandum sui dominii sive sue potestatis universalitatem⁸¹. Et hanc rationem tangit Decretum preallegatum XXI. dist. § *Decretis^j* circa finem, ubi dicitur, quod *Petrus in summum sacerdotem^k elegit* Dominus, *dum ei pro^l omnibus et^l pre omnibus claves regni celorum tribuit⁸²*. Quarta ratio^m preeminentie dominii et potestatis Petri suorumque successorum attenditurⁿ in ultima clausula, cum subinfertur: *Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in celis*, ubi accipitur in Petro sui dominii plenitudo^o ⁸³. Quamvis enim Dominus Petro cum aliis apostolis auctoritatem sive^p potestatem^p ligandi atque solvendi dederit, eidem^q tamen singulariter tribuit bis: Semel hic et secundo, quando ipsum Dominus ter requisivit, Iohanne ultimo: *Simon, inquit, Iohannis diligis me plus hiis? Pasce oves meas* etc., ubi magnorum est opinio, quod in hoc loco facta est per Dominum Petro singulariter commissio sui gregis. Sic ergo patet^r eminentia^r dominii Petri et potestatis suorumque successorum sive respectu aliorum prelatorum sive respectu principum, quia preeminet universis. Ergo suum erit ex causa de aliis regiminibus^s disponere, sed precipue *ratione delicti⁸⁴*. Et hoc habet locum in omni principatu sive regali sive imperiali, sicut patet ex^t hiis, que scribit Innocentius III.

e) sedent R. f) gubernat V₃ gubernabant L. g) *fehlt* V₂. h) dicit V₂ V₃.
i) quia V₂. j) de certis V₁ V₂ V₃. k) sacerdotium V₃. l-l) *fehlt* V₂.
m) *fehlt* V₁ V₂ V₃ R L. n) attendunt V₃ R. o) amplitudo V₂. p-p) *fehlt*
V₁ V₂ V₃ R L. q) idem P ei V₃. r-r) preheminentia R. s) regibus
R. t) de V₃ R.

79) Vgl. *Historia ecclesiastica nova* (wie Anm. 2) I 10, S. 16 Z. 14-18.

80) Vgl. *Tholomeus, De regimine principum* (wie Anm. 73) III 13.

81) Vgl. *Historia ecclesiastica nova* (wie Anm. 2) I 10, S. 17 Z. 2ff., nach Matth. 16,19.

82) *Decretum Gratiani* (wie Anm. 4) Dist. 21 dictum Gratiani a. c. 1 § 3, 1 Sp. 67.

83) *Tholomeus, De regimine principum* (wie Anm. 73) III 10, nach Matth. 16,19.

84) Vgl. *Tholomeus, De regimine principum* (wie Anm. 73) III 10, nach Ioh. 21,15. Vgl. auch *Historia ecclesiastica nova* (wie Anm. 2) I 11, S. 17 Z. 12-16.